



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Die 1. S. Ignatius Antiochenus Episcopus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

F E B R U A R I U S.

Festum S. Ignatii Antiocheni
Episcopi.

EXHORTATIUNCULA I.

Filli ! vivimusne ? sed cui ? Doceat id
S. Ignatius , cuius totum vivere, lo-
qui , & cogitare non erat nisi laudare, &
amare Jesum. Et quid facilius ? quid
dulcius ? ô si Jesus in cor nostrum veni-
ret, quam citò sancti essemus !

Instructio meritoria.

Procul cum amore profano ; totum
se nobis dedit Christus ! mundus nil nisi
interitum. Satisfaciamus ratione stul-
titiae , & vanitatis nostræ , & recitemus
Officium de dulcissimo Nomine Jesu.
Ah ! cur non rumpitur pectus , dum Je-
sus offenditur ? amor Jesu ad magna im-
pellit. Sed in nobis ubi illa ?

II.

SIgnatius sic dilexit Dominum Jesum,
ut Ipsi cuperet esse quam simillimus ! binc pii gemitus : *Frumentum Chri-
sti sum ! dentibus bestiarum molar ! Ami-
cus*

210 I. Februarii. S. Ignatii Ep. Antioch.

cus Jesu esse non potest, qui ab hujus de-
generat vita, & exemplo : Et tamen
nos tam avidè desideramus.

Instructio meritoria.

Christus sit confabulator tuus (ait
Damianus) *contubernalis tuus, & con-*
viva; imo Christus ipse sit tua delicia.
Ideò nunquam accedamus communita-
tem fraternalm, nisi coram Sanctissimo
vel Crucifixo petitâ ab Eo benedictione,
& præmissis quinque Pater & Ave in
honorem quinque Litterarum, quibus
constat Nomen Jesu. Ubi Jesus, ibi-
lus, pax, & gratia.

III.

Quid amor non tentat ? Mariæ ita
familiaris fuit S. Ignatius, ut illi
adhuc viventi scripserit epistolam, reci-
procāmque ab Ea acceperit. O glorio-
sum Litterarum commercium, quō fi-
lius Matri, & Mater intimè jungebatur
filio ! quid nos attentabimus ? Aman-
dissime ! licent paria.

Instructio meritoria.

Filius salutet Matrem : Et nos Mariam.
Epistolam igitur expediamus ad Cœli
Re-

Reginam, in qua octo magis heroici
actus in humilitate, temperantia, & ta-
citurnitate Ei offeramus pro perpetua
nos inter amicitiam. Schedam depona-
mus aut in manus Beatissimae V. Mariæ,
aut abscondamus sub pia Icone cum
Antiph. *Salve Regina, Mater Miseri-
cordiae!*

Festum Purificationis B. Virgi- nis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Ecce! venit ad templum sanctum su-
um Dominator Dominus, ut se pro
nobis offerat, ac præsentet hostiam vi-
vam. Surgat ergo filius spiritualis! &
occurrat Deo suo! occurrat in omni pu-
ritate animi, lætitiam cordis, & gaudio
Benedictini spiritus.

Instructio meritoria.

Hæc Præsentatio ut nostra sit in cœlis
glorificatio, recitemus *primas quatuor
Decades* ex S. Rosario Gaudioso. In fi-
ne prostratō coram Sanctissimo Altaris
Sacramento corpore nos totos præsen-
temus SSS. Trinitati in Hostiam Divini
Bene-